

teatur proximo... Et si ille cui confitebitur, potestatem solvendi non habet; sit tamen dignus venia, ex desiderio sacerdotis, qui socio confitetur turpitudinem criminis (1). Hac una ratione plana fiunt omnia quæ ex conciliis, Petro Cantore, jure canonico objiciebantur, quin diutius in his immorari debeamus.

Ad 2. Dist. Constat Abbatissas excepisse confessiones caremoniales, et humilitatis gratia prout mos adhuc obtinet in nonnullis religiosorum ordinibus ad reddendam conscientiam rationem, C. sacramentales vel N. vel Subd. Ita ut si aliquis abusus obreperit, sublatus statim sit, C. secus, Tr. Fieri utique fortasse potuit, ut ex illa consuetudine reddendi rationem propriæ conscientiam, nonnullæ ulterius progressæ sibi ex ignorantia aut audacia arrogaverint indebitum jus impertiendi absolutionem. Verum cum primum tam sacrilega usurpatio pervenit ad aures præsulum ecclesiæ gallicanæ confestim compressa fuit. Id ipsum præstitit Innocentius III, quoad abbatissas Hispaniæ (2).

Ceterum confessiones apud laicos factæ perduraverunt usque ad sec. XIV initium, sed justis de causis cœperunt paulatim intermittere, donec tandem obsoleverint. Nec desunt qui existiment in præsentem graviter eas esse illicitas, tum quia per ipsas absque causa quis semetipsum infamaret, scandalumque præberet, tum quia præberet lutheranæ hæresis suspicionem (Cf. Ben. XIV. loc. cit. § 41).

PROPOSITIO III. — Ad valide absolvendum in sacramento pœnitentiæ præter potestatem ordinis requiritur potestas jurisdictionis.

Certa est et fidei proxima, adeo ut ejus opposita propositio sit falsa, temeraria, erronea, et concilio Tridentino contraria. Talis est enim nota, quam Pius VI in Const. Auctorem fidei inussit propositioni XXXVII synodi Pistoriensis his verbis expressæ: *Doctrina synodi, quæ de auctoritate absolvendi accepta per ordinationem enuntiat, post institutionem diœcesium et parochiarum conveniens esse, ut quisque iudicium hoc exerceat super personas sibi subditas sive ratione territorii, sive jure quodam personali, propterea quod aliter confusio induceretur et perturbatio; quatenus post institutas diœceses et parochias enuntiat tantummodo, conveniens esse ad præcavendam confusionem, ut absolvendi potestas exerceatur super subditos; sic intellecta quod ad validum usum hujus potestatis non sit necessaria ordinaria, vel subdelegata illa jurisdictione, sine qua Tridentinum declarat, nullius momenti esse absolutionem a sacerdote prolatam; falsa, temeraria, etc.*

Et sane Tridentinum sess. XIV, cap. VII. hæc habet: *Quoniam natura et ratio illud exposcit, ut sententia in subditos duntaxat feratur, persuasum semper in*

(1) Append. tom. VI. opp. s. Aug. edit. Maur. Cf. adnotationem edit. in hunc librum.

(2) Cf. Chardon Hist. du sacrement de la pénit. sect. 1. ch. 7. Marten. op. et l. c. § 9. ubi tamen in nonnullis vir doctus labitur.

*Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem.* Ante concilium Tridentinum id ipsum jam docuerat Florentinum, scilicet, *ministerium sacramenti pœnitentiæ esse sacerdotem habentem auctoritatem absolvendi vel ordinariam, vel ex commissione superioris* (1). Jam vero concilium Tridentinum nomine *jurisdictionis ordinariæ et subdelegatæ* significare jurisdictionem ecclesiasticam evidens est; etenim si dum ait: *Sacerdos non habens jurisdictionem intellexisset divinam, quæ nempe consistit in potestate ordinis, tunc ea verba hunc sensum præ se ferrent: Sacerdos qui non habet potestatem ordinis, id est, sacerdos, qui non est sacerdos; qui sensus plane absurdus esset et contradictorius.* Rursum: a Tridentino potestas, sive jurisdictio, quæ sacerdotibus confertur *subdelegata* dicitur; inauditum porro est asserere *subdelegatum* esse potestatem quæ a Deo in ordinatione immediate confertur, quæque in characterem sacerdotalem consistit et prorsus inamissibilis est. Doctrina igitur concilii est, irritam et nullius momenti esse absolutionem impertitam a sacerdote qui jurisdictione ecclesiastica sit destitutus, prout omnes theologo unanimiter intellexerunt usque ad novos istos perturbatores quos impugnamus.

Verum quod omnem dubitationem amovet circa germanum concilii Tridentini sensum in adductis verbis illud est, quod romani pontifices interdum suis decretis sacerdotes omni declararunt auctoritate destitutos, ac nullam esse absolutionem ab ipsis collatam. Instar omnium sit Benedictus XIV, qui in Const. *Sacramentum pœnitentiæ* his verbis ademit confessario absolvendi complicem in peccato turpi omnem facultatem: *Sublata propterea illi (confessario) ipso jure quacumque auctoritate, et jurisdictione ad qualemcumque personam ab hujusmodi culpa absolvendam; adeo quidem, ut absolutio, si quam impertierit, nulla, atque irrita omnino sit, tanquam impertita a sacerdote, qui jurisdictione ac facultate ad valide absolvendum necessaria privatus existit, quam ei per præsentem nostras adimere intendimus* (2). Jam vero quorsum hæc, si facultas absolvendi ita pendeat a potestate ordinis, ut nulla præterea jurisdictione opus sit ad eam valide exercendam?

Hoc ipsum adstruitur ex analogia, quæ inter forum

(1) In decreto Eugenii IV. de unione Armen., apud Hard. Acta conc. tom. IX. col. 440.

(2) Cf. in ejus Bullar. tom. I. pag. 32. 33. Cf. item quæ scripsit idem sapientissimus pontifex in op. de synoda lib. VII. cap. 14. His si opus esset, adjici posset s. Carolus Borromæus, qui in concil. IV. Mediol. an. 1576 mandat ut confessarii bene noseant casus reservatos « in quibus absolvendi auctoritatem nullam habent. » Et in synodo Diœc. XI. an. 1584. jurisdictione destituit confessarium quoad socios quos habuerit in crimine, atque addit præterea: « Si quam vero auctoritatem jurisdictionemque habeat, ea, ne abutatur, privamus, quod ad hanc causam culpamque attinet: nec vero absolutio, si quam impertierit, nullius roboris sit, sed irrita plane ac rescissa, nullaque omnino tanquam ab eo impertita, qui jurisdictionis expertus sit. » Cf. Acta Ecclesiæ Mediolan. a Carolo Card. s. Præcedis collata Mediol. 1599. Porro s. hic cardinalis executioni mandavit decreta conc. Tridentini sua ætate celebrati.

civile et internum intercedit. In foro enim civili iudices nullam possunt auctoritatem exercere nisi in subditos, quos ipsis princeps assignaverit, sic nullam possunt sacerdotes in foro interno potestatem exercere nisi in subditos ipsis a prælati attributos.

Possem hanc ipsam propositionem ex monumentis totius antiquitatis ecclesiasticæ evincere, ex quibus constat olim solos episcopos pœnitentiæ sacramentum administrasse, deinde vero monachis id muneris eos demandasse, quin unquam alii sacerdotes hanc sibi facultatem arrogaverint (1). Verum quoniam res nobis hic est cum iis, qui se catholicos profitentur, sufficit ostendisse Ecclesiam catholicam ita sentire.

Interea ex dictis adversus notericos colligimus 1. episcopalem approbationem non esse merum idoneitatis testimonium, sed veram potestatis et jurisdictionis collationem; 2. absque antistiti approbatione et jurisdictionis potestate non solum illicite, sed prorsus invalide ministrari sacramentum pœnitentiæ.

DIFFICULTATES. I. Obj. 1. Omnibus indiscriminatum sacerdotibus cum inaugurantur ab episcopo dicitur: *Accipite Spiritum S.: quorum remisistis, etc.*, ergo ordinationis suæ vi sacerdotes omnes valide absolvunt; quod 2. non obscure insinuat ipsa Tridentina synodus, dum sess. XIV. cap. VI. docet sacerdotes in sua ordinatione a peccatis absolvendi potestatem accipere; et cap. V. jam dixerat *Christum reliquisse sacerdotes tanquam præsidet et iudices.... qui pro potestate clavium, remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntiant*. 3. Ergo ex Tridentino Deus ipse in sacerdotum ordinatione immediate confert jurisdictionem: hoc enim ipso, quod Deus tribuit absolvendi potestatem, eos constituit iudices; 4. at iudex non potest sine subditis esse. 5. Hoc pariter confirmat catechismus Rom. dicens presbyteros in sua ordinatione duplicem recipere potestatem, alteram in corpus Christi reale, alteram in corpus Christi mysticum, id est, in omnes Christi fideles, qui propterea evadunt sacerdotum subditi. Ergo.

Resp. Ad 1. Dist. Si subditos habeant in quos potestatem vi ordinationis acceptam exerceant, C. si non habeant, N. Jam vero subditi non assignantur sacerdotibus nisi per ordinariam aut subdelegatam jurisdictionem. Sic enim Christus disposuit dum noluit hanc potestatem exerceri præter quam in subditos et instar iudicii. Non igitur permiscenda est potestas cum exercitio potestatis; potestas habetur immediate a Deo, exercitium immediate ab episcopo per subditorum assignationem. Hinc quemadmodum sacerdos ordinationis suæ vi sic accipit potestatem in corpus Christi reale, ut tamen ad potestatis hujus exercitium pane et vino indigeat, ita quamvis sacerdos veram ligandi et solvendi obtinerit in ordinatione potestatem, nihilominus ut ea utatur seu reducat in actum,

(1) Cf. Christ. Lupum in dissert. de peccatorum ac satisfactionum indulgentiis cap. 2. opp. edit. Venet. 1725. tom. VI. pag. 275. et seqq. Cf. etiam Marten. op. cit. lib. I. p. 2. cap. 6. art. 6. § 2. et 3.

indiget jurisdictione qua illi assignentur subditi. Hac ratione verba illa indeterminata *quorum remisistis, etc.* determinantur ad eos, quibus per jurisdictionem subditi constituuntur.

Ad 2. Neg. Ut constat ex dictis; nam Tridentinum in objectis verbis nihil aliud intendit quam statuere adversus lutheranos Christum non omnibus promiscue fidelibus contulisse potestatem absolvendi, sed solis sacerdotibus. Utrum vero sacerdotes quam adepti sunt in ordinatione potestatem exercere valeant absque jurisdictione necne, concilium capp. V et VI quæ nobis objiciuntur, non discutit; cap. vero VII hoc agit, statuitque in eum finem requiri *jurisdictionem ordinariam aut subdelegatam*.

Ad 3. Neg. vel Dist. Potestatem, C. exercitium potestatis, N.

Ad 4. Dist. Qui talis sit in actu, C. qui talis tantum sit quoad potestatem, N. Responsio patet ex dictis.

Ad 5. N. Sed ea ipsamet docet catechismus Romanus quæ vidimus docuisse concilium Tridentinum. Sane loquens de ministro pœnitentiæ asserit: *eum sacerdotem esse, qui ordinariam aut delegatam absolvendi potestatem habeat ex ecclesiasticis sanctionibus satis apparet; habeat enim oportet non solum ordinis, verum etiam jurisdictionis potestatem, qui hoc munere fungi debet* (P. II. cap. 5. n. 47).

II. Obj. 1. Saltem dicendum, concilium cap. VII. loqui tantum de absolutione a censuris, quæ quidem jurisdictionem in absolvente requirunt utpote fori ecclesiastici, non vero de absolutione sacramentali, prout indicat ipse capituli titulus, qui est *De censuris*. 2. Hac ratione tolluntur illa absurda quæ ex contraria doctrina descendunt, scilicet, quod ad valide absolvendum præter potestatem divinitus traditam requiratur potestas humana; aut quod potestas divina pendere debeat in suo exercitio a potestate humana; quod absolutio non jam conferatur in nomine J. C. sed in nomine episcopi, aliaque ejusmodi. 3. Si nihilominus contendat contrariæ doctrinæ patroni ideo requiri in confessario jurisdictionem ad legitime absolvendum, quia sententia ferri debet in subditos, quilibet fidelis dum sacerdoti se sistit, hoc ipso se ejus subditum constituit, cum tribunal pœnitentiæ pro iis sit institutum, qui sponte ad illud accedere volunt. 4. Demum omitti nequit institutam esse administrationem sacramenti pœnitentiæ ad instar compromissi inter pœnitentem et confessarium quo fit ut iste acquirat subditum voluntarium atque adeo possit illum valide absolvere: sacerdos enim est iudex compromissarius a Christo institutus inter Deum offensum et peccatorem a quo læsa divina justitia est. Ergo.

Resp. Ad 1. Neg. Tum quia titulus hujus capituli non est de solis censuris, sed *de peccatis et censuris reservatis, aut simpliciter de casuum reservatione*; tum quia concilium in eodem capite distinguit peccata a censuris dicens: *Præsertim quoad illa (atrociora crimina) quibus excommunicationis censura annexa est: tum*

quia denique loquitur de reservatione casuum graviorum quæ vim habeat coram Deo, non autem tantum in externa politia, ut ibidem dicitur.

Ad 2. Neg. suppositum, quod adversarii confingunt; etenim præterquam in eorum cerebro nusquam extant ejusmodi absurda quæ ipsi urgent. Jurisdictio, prout exposuimus, se habet tantum ut conditio, qua potestas absolvendi in ordinatione a Deo collata in praxim, seu in actum deducatur. Per eam siquidem subditi assignantur in quos possint sacerdotes ministerium suum exercere.

Ad 3. Dist. Possunt fideles sese pro arbitrio sistere cuilibet sacerdoti qui fuerit legitime ad confessiones excipiendas a prælato approbatus, C. possunt sibi iudices constituere, seu eligere, N. Alioquin sequeretur jurisdictionem spiritualem et supernaturalem non ab Ecclesia cui Christus hanc contulit auctoritatem, in confessarios derivari sed a fidelibus, quod est absurdum.

Ad 4. Neg. Fictitium enim ac plane inauditum hoc compromissi paradoxum aperte repugnat Tridentino docenti Christum... sacerdotes sui ipsius vicarios reliquisse tanquam præsidēs et iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur (Sess. XIV, cap. 5). Si igitur sacerdotes sunt præsidēs et iudices a Christo constituti, id est, iudices per imperium, ut loquitur S. Thomas (In Suppl. q. 8. art. 4), tales erunt antequam quisquam ipsis tanquam arbitris sese ultro subijciat. Accedit juxta Tridentinum etiam istud, quod absque jurisdictione ordinaria vel subdelegata iudicium sacramentale nullius momenti sit. At vero in iudicio compromissario nulla requiritur jurisdictione. Demum jurisdictio ecclesiastica divinam habet institutionem; in hypothesi autem istius compromissi, ab humana penderet institutione, cum illam confessario poenitens quilibet tribueret (1).

PROPOSITIO IV. — *Episcopi jus habent reservandi sibi casus non solum quoad externam politiam, sed etiam coram Deo, ideoque sacerdotes, qui extra mortis articulum nihil possunt in casibus reservatis, invalidè prorsus ab iis poenitentes absolvunt.*

De fide est, contrarium enim asserentes concilium Tridentinum can. XI in cit. sess. anathemate percussit: *Si quis dixerit episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere quominus sacerdotes a reservatis vere absolvat, anath. sit.* Hic porro canon coheret doctrinæ jam traditæ ab eodem concilio cap. VII; *Magnopere ad christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis patribus nostris visum est, ut atrociora quedam et graviora crimina non a quibusvis, sed a summis duntaxat sacerdotibus absolventur. Unde merito pontifices maximi pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas crimi-*

(1) Cf. s. Th. cent. gent. lib. IV, cap. 72. necnon Zaccaria in op. cui tit. *Delle storte idee raddrizzate*. Fuligno 1784. Jo. Bapt. Zuccala Diss. duas de potestate presbyterorum in administratione sacr. poenitent. Bergomi 1787. Vinc. Rossi Osservazioni teologiche sopra la diatriba della validità etc. Brescia 1795. Gio. Battista Gemini Solitario. *La cabala discoperta de' filosofanti del secolo.*

num graviores suo potuerunt peculiari iudicio reservare. Neque dubitandum est... quin hoc idem episcopis omnibus in sua cuique diœcesi, in ædificationem tamen, non in destructionem liceat, pro illis in subditos tradita supra reliquos inferiores sacerdotes auctoritate, præsertim quoad illa, quibus excommunicationis censura annexa est. Hanc autem delictorum reservationem consonum est divinæ auctoritati, non tantum in externa politia, sed etiam coram Deo vim habere... Extra articulum mortis sacerdotes, cum nihil possint in casibus reservatis, id unum poenitentibus persuadere nitantur, ut ad superiores et legitimos iudices pro beneficio absolutionis accedant.

Post adeo apertam Tridentini doctrinam mirari subit quod ecclesiastici scriptores catholicum nomen profitentes ausi fuerint impugnare jus reservationum casuum, et usum qui in Ecclesia obtinet casus quosdam reservandi, nec veriti sint eam absolutionem a casibus reservatis validam proponere, quam sacerdos tali potestate destitutus contulerit. Cum horum doctrinam amplexa fuerit synodus Pistoriensis, binas ejus propositiones Pius VI proseripsit, nempe XLIV. *Propositio synodi asserens reservationem casuum nunc temporis aliud non esse, quam improvidum ligamen pro inferioribus sacerdotibus, et sonum sensu vacuum pro poenitentibus assuetis non admodum curare hanc reservationem declaratur, falsa, temeraria, male sonans, pernicioza, concilio Trid. contraria, superioris hierarchicæ potestatis læsiva; et XLV. Item de spe quam ostendit fore, ut reformato Rituali, et ordine poenitentiarum nullum amplius locum habituræ sint hujusmodi reservationes; prout attenda generalitate verborum innuit per reformationem Ritualis, et ordinis poenitentiarum factam ab episcopo (1), vel synodo aboleri posse casus, quos Tridentina synodus (Sess. XIV, cap. 7) declarat pontifices maximos potuisse pro suprema potestate sibi in universa Ecclesia tradita peculiari suo iudicio reservare pariter proseribitur ut falsa, temeraria, concilio Trid. et summorum pontificum auctoritati derogans, et injuriosa.*

Jus porro reservandi aliquot majoris momenti causas penes Ecclesiæ prælatos esse ex divina institutione non solum in politia externa, sed etiam coram Deo adversus eos qui se catholicos profitentur abunde constat ex allatis documentis. Ad hæreticos lutheranos quod attinet quibus canonem suum opposuit Tridentinum, patet ex ipsa institutione sacramenti poenitentiarum ad modum forensis iudicii in quo alie cause sunt reservatæ tribunali ipsius principis, alie aliis inferioris ordinis, ut omnes norunt.

Id pariter constat ex usu qui viguit in tota antiquitate, præsertim vero ex non paucis epistolis s. Cypriani (2). Occurrunt præterea exempla ejusmodi

(1) Apposite card. Bona de reb. liturg. lib. I. c. 7. § 2. hæc in rem nostram scripsit: «Sectariorum hoc proprium fuit, ut cum a fide deficerent, libros quoque rituales vel suis erroribus inficerent, vel privata auctoritate immutarent.»

(2) Epp. IX. X. XI. XXVII. in quibus sermo est de absolutione data lapsis a presbyteris absque episcopi facultate.

reservationis in decem et septem conciliis partim œcumenicis, partim nationalibus, partim demum provincialibus ante Tridentinum celebratis (1). Notum insuper est tria majora delicta canonica nuncupata episcopis passim reservata fuisse, interdum soli summo Pontifici, præsertim homicidium, ut constat ex Actis s. Redonis (2). Illustre hujus reservationis exemplum sec. IV. habemus in Lamproniano presbytero quem criminis convictum ipsius metropolitani episcopus Synesius remisit absolvendum ad Theophilum patriarcham Alexandrinum (3). Praxis demum ordinaria in antiquitate et quidem constans fuit, ut poenitentes a solo episcopo absolventur vel ab iis sacerdotibus quibus episcopus id demandasset, ut innumera prope documenta evincunt, quæ collegerunt Martenius (Op. cit. lib. I, p. 2, cap. VI, ar. 6), Morinus (de poenit., lib. II, cap. XI, § 15 et seqq.), Chardonius (Loc. cit.), aliique passim.

Ex his patet quodnam sit ferendum iudicium de Pistoriensibus aliisque Ecclesiæ perturbatoribus, qui se profitentur rigidioris doctrinæ et antiquæ disciplinæ sectatores studiosissimos. Verum ut habeant veteratores isti unde majori pudore suffundantur, juverit exseribere, quæ homo lutheranus, Leibnitius, de hoc argumento annotavit: *Id ipsum enim, inquit, de jure divino est, ut absolutionem non consequatur, qui Ecclesiæ iudicium contemnit, et quas illa condiciones sive in confitendo exigit, sive post confessionem imponit, negligere audeat. Hinc etiam in Pontifice maximo et episcopo potestas est statuendi casus reservatos, qui a quovis sacerdote remitti non possunt nisi in periculo mortis, et præscribendi canones poenitentiales... quibus a confitente neglectis... irrita absolutio esset (Sys. The. p. 274).*

DIFFICULTATES. I. Obj. 1. Potestas quæ confertur sacerdotibus dum inaugurantur absque ulla reservatione est, cum iis dicatur *quorum remisistis, etc.* Hæc autem facultas generalis concipi nequit quotiescumque ab omni peccato sacerdotes omnes valide non absolvant. 2. Tridentinum sess. XXIII. cap. I. eodem modo loquitur de potestate a Christo Apostolis tradita eorumque in sacerdotio successoribus consecrandi, offerendi et ministrandi corpus et sanguinem Domini ac de potestate peccata dimittendi et retinendi; atqui potestas consecrandi nullo modo auferri, suspendi aut circumseribi potest; ergo neque potestas absolvendi.

Resp. Ad 1. Dist. Quæ tamen ex ipsa natura rei supponitur ac subintelligitur, C. secus, N. Si quid enim evinceret adversariorum argumentatio eodem

(1) Cf. Sermone instructivi di un vecchio parroco della Toscana al suo popolo etc. Serm. 9. Vercelli 1796.

(2) Apud Mabillon Acta ss. ord. benedictin. sec. 4. Cf. Chardon loc. cit.

(3) Cf. Epist. LXVI. Synesii ad Theophilum ed. 2. Petav. pag. 213. ubi hæc leguntur: «Solvendi [Lampronianum] porro jus et auctoritatem ad pontificiam sedem rejecta... Hic porro sermo esse non potest de absolutione a poenitentia publica, cum ageretur de sacerdote. Pleuryus, qui certe auctor suspectus non est, in Hist. Eccl. lib. XXII. s. 44. cum recitasset factum Synesii, apposuit hanc animadversionem: «On voit ici une absolution réservée au supérieur, même par un métropolitain, qui avait imposé la peine.»

jure inferri posset: ergo quia nulla veræ poenitentiarum fit mentio, quilibet etsi impenitens ex eo quod peccata sua confiteatur erit absolvendus; ergo quia nulla ibi fit limitatio loci, episcopi omnes auctoritate ordinaria in aliena diœcesi poterunt quoslibet absolvere. Quæ quidem aliaque ejusmodi paradoxa cum probari nequeant homini sano, consequens proinde est verba evangelica *quorum remisistis, etc.* intelligenda esse cum ea circumscriptione quam ipsa verba non excludunt, imo supponunt atque exposcunt. At hæc limitatio ab infallibili Ecclesiæ decreto declarata fuit, uti ostendimus.

Ad 2. Dist. Eodem modo loquitur Tridentinum de utraque potestate, at diverso sensu, C. eodem sensu perinde ac par sit utriusque potestatis ratio, N. Jam vero quin sibi concilium turpiter contradixerit non potuit affirmare eandem esse utriusque potestatis rationem. Quod enim spectat ad potestatem dimittendi aut retinendi peccata jam declaraverat sess. XIV, cap. VII, ita pendere a jurisdictionis collatione, ut nullius momenti absolutionem esse dixerit quam sacerdos in eum proferret in quem ordinariam aut subdelegatam non habeat jurisdictionem, et extra mortis articulum nihil possit in casibus reservatis. Non poterat igitur concilium contrarium statuere, dum statuit parem esse rationem utriusque potestatis qua pollet sacerdos super corpus reale ac mysticum Christi Domini.

II. Obj. Valida saltem erit absolutio collata vel ab episcopo relate ad casus reservatos a summo pontifice, vel a parochis relate ad casus reservatos ab episcopo, tum quia 1. a Tridentino can. XI. solius sacerdotis fit mentio, tum quia 2. non potest fieri aliter hæc reservatio quam subditos subtrahendo; atqui isti ab episcopis vel parochis, qui ordinaria gaudent jurisdictione, non nisi per ablationem officii subtrahi possunt. His enim subditi necessario addicti sunt. Ergo.

Resp. Neg. Ant. Ad 1. prob. Dist. Tridentinum can. XI. meminit solius sacerdotis, quia id tantum ferrebat ejus scopus adversus lutheranos, C. quia non censuit posse summum pontificem sibi casus reservare in universa Ecclesia, N. Hoc enim esset aperte contrarium ei quod docuerat cap. VII. cujus verba retulimus. Itaque hoc canone voluit tantum ferre hæreticos, qui episcopis hoc jus denegabant.

Ad 2. Neg. Etenim tam parochis quam episcopis subtrahi subditi possunt non adempto officio, quemadmodum contingit cum pars diœcesis, vel parochiæ detrahitur, et quemadmodum etiam nova parte addita, potest parochia vel diœcesis augeri. Numerus igitur subditorum potest augeri vel minui salvo officio ac dignitate episcopi vel parochi, prout sæpe evenit. Eadem proinde de causa potest minui ipsorum jurisdictio seu facultas ex subtractione alicujus partis materiae, quæ superiori potestati reservatur.

Ad id porro quod adjicitur de potestate ordinaria, D. Si hæc potestas ordinaria sit suprema, C. si sit subordinata, N. Quamvis igitur tam episcoporum

quam parochorum jurisdictioni ordinaria sit, et quoad officium essentialis et totalis, non tamen ejusmodi est, quæ immediate summi pontificis et superiorum præ-sutum jurisdictioni minime sit subjecta, ita ut ab ipsis nequeat coarctari ad populi christiani disciplinam et religionem conservandam, cujus cura primario romano pontifici, et sub ipso episcopis, et dein parochis concedita est.

Quoniam de ministro pœnitentiæ verba fecimus, non abs re esse putamus verba subjicere Magni Gregorii quibus animarum pastorem instruit qua ratione erga peccatores ad se confugientes se gerat: *Necesse est, inquit, ut cum peccati vulnus in subditis corrigendo restringitur, magna se sollicitudine etiam districtio ipsa moderetur: quatenus sic jura disciplinæ contra delinquentes exercent, ut pietatis viscera non amittat. Curandum quippe est, ut rectorem subditis, et matrem pietas, et patrem exhibeat disciplina... Miscenda ergo est lenitas cum severitate; faciendum quoddam ex utroque temperamentum: ut neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate solvantur. Quod juxta Pauli vocem bene illa tabernaculi Arca significat, in qua cum tabulis virga simul et manna est: quia cum Scripturæ sacræ scientia in boni rectoris pectore, si est virga districtiōnis, sit et manna dulcedinis. Hinc David ait: Virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt. Virga enim percutimur, baculo sustentamur. Si ergo est districtio virgæ quæ feriat, sit et consolatio baculi quæ sustentet. Sit itaque amor, sed non emolliens: sit vigor, sed non exasperans: sit zelus, sed non immoderate sæviens: sit pietas, sed non plusquam expedit, parcens (1).* Hæc quidem ad animarum pastores s. Gregorius: s. Pacianus vero sic peccatores ipsos alloquitur: *Nec*

(1) *regulæ pastoral.* p. 2. cap. 6. ed. Maur. Tom. II. p. 25.

quisquam adeo peccatricis animæ vilitate desperet, ut se jam non necessarium Deo credat. Neminem nostrum perire vult Dominus, etiam modici et minimi requiruntur. Si non creditis, intuemini, ecce in Evangelio drachma requiritur, et vicinis inventa monstratur ovicula, suppositis reportanda cervicibus, non est onerosa pastori. Super unum peccatorem pœnitentiam agentem in cælis Angeli gaudent, et chorus celestis exultat. Deus tu peccator, rogare ne desinas: vide ubi de tuo reditu gaudeatur (1).

(1) *Parænesis sive exhortatio ad pœnit.* in Biblioth. PP. De la Bigne Paris. 1589. tom. II. p. 457.

Hæc sanctorum patrum documenta in animabus edocendis regendisque non sine ingenti fructu consecutus est hac fere ætate B. Alphonsus Maria de Liguori in tot libris quos in hunc finem scripsit. In his porro libris qui vel morale Theologiam vel ascetism explant, s. Sedes iteratis decretis nil censura dignum contineri declarat. Cum tamen nonnemo etiam post ejusmodi decreta dubius hæreret utrum confessarii tuto doctissimi æque ac sanctissimi auctoris sententiis in praxi acquiescere possent necne in administratione sacramenti pœnitentiæ, p. s. Card. de Rohan-Chabot Archiepisc. Vesuntinus an. 1851. hæc dubia sacræ Pœnitentiariæ proposuit, nempe « 1. Utrum sacræ Theologiæ professor opiniones, quas in sua theologia morali proficitur B. Alphonsus Maria de Liguori, tuto sequi ac profiteri possit? 2. An sit inquietandus confessarius, qui omnes B. Alphonsi Mariæ de Liguori sequitur opiniones in praxi sacræ pœnitentiæ tribunalis, hæc sola ratione, quod a s. Sede Apostolica nihil in ejus operibus censura dignum repertum fuerit? Eadem sacræ Pœnitentiariæ die 5. Julii 1851. respondit ut sequitur. Ad 1. *Affirmative*; quin tamen inde reprehendendi censeantur, qui opiniones ab aliis probatis auctoribus traditas sequuntur. Ad 2. *Negative*; habita ratione mentis s. Sedis circa approbationem scriptorum servorum Dei ad effectum canonizationis. »

Quare non admodum eorum obtemperantia mihi videtur commendanda, qui adhuc pergunt tanquam minus tulam insectari doctrinam sanctissimi ac doctissimi viri, qui ut loquitur Pius VII. s. m. in decreto *in tuto* etc. dato 12. Kal. Januar. 1815. « Apostolo dignas virtutes quasi jubar emisit, cum voce et scripto in media seculi nocte errantibus viam ostendit, qua eruli de potestate tenebrarum transire possent in Dei lumen et gloriam. » Cf. aureum opus. *Riflessioni sopra l'esimta santità e dottrina del B. Alfonso Maria de Liguori.* Reggio 1825.

## TRACTATUS DE INDULGENTIIS.

### Proœmium.

Per pœnitentiæ sacramentum culpam nobis ac pœnam æternam remitti, nec tamen semper condonari totam pœnam temporalem peccatis nostris debitam in superiori tractatu ostendimus. Verum enim vero cum satisfactiones quas Deo persolvimus adeo exiguæ sint atque a gravitate noxarum adæquanda longissime distent, Deus qui est misericordiarum pater lucis insufficientiæ providit, facta Ecclesiæ potestate indulgentias largiendi in supplementum ac subsidium pœnitentiæ nostræ.

De his indulgentiis dicere in præsentia aggredimur tum adversus montanistas, waldenses ac wicleffitas, tum adversus protestantes. Notum est istorum parcu-

tem, Lutherum, ex harum in Germania publicatione insurgendi adversus Ecclesiam occasionem nactum esse; hujus furorem Calvinus imitatus, mirum est quot in indulgentias dicteria evomerit (1). Ii porro ipsam facultatem concedendi indulgentias earumque utilitatem inficiati sunt una cum asseclis suis: Jansenistæ autem ac neoterici non pauci germanam earum

(1) *In* *inst.* lib. II. cap. 5. § 2. parum ei fuit vocare indulgentias *sordes, imposturas, furta, rapacitates*, aliisque probris ac contumeliis afflicere, sed præterea eas describere contendens: « Sunt autem illæ (indulgentiæ), inquit, sanguinis Christi profanatio, Satanaeque ludibrium, quo christianum populum a Dei gratia, a vita quæ est in Christo, abducant et a vera salutis via avertant. »

notionem temerantur. Adversus utrosque propterea catholice ac sincere doctrinæ de indulgentiis vindicias sumere cogimur, ut absoluta evadat hæc commentatio.

Est autem indulgentia: « Remissio pœnæ temporalis adhuc post absolutionem sacramentalem peccatis debite, in foro interno coram Deo valida, facta per applicationem thesauri Ecclesiæ a superiore legitimo. » Cujus definitionis si verba perpendantur singula, patebit 1. quænam sit vera ac præcipua indulgentiæ natura ac notio, quæ versatur solum circa pœnam temporalem peccatis nostris debitam extra forum conscientie remittendam, suppositis debitis dispositionibus in subjecto, et debita auctoritate in conferente; 2. ejusmodi pœnæ remissionem non excludere satisfactiones nostras, sed eas supponere, ideoque indulgentiam spectari debere veluti supplementum satisfactionum nostrarum, saltem sacramentalium, earumque ad quas nos excitat ipsa interior animi dispositio quæ inest sincere conversioni (1); 3. non esse indulgentiam simplicem canonicæ pœnitentiæ relaxationem in foro duntaxat externo validam, verum etiam in foro interno et coram Deo, seu esse remissionem partialem aut totalem illius satisfactionis quam ob patratas culpas sive in hac, sive in altera vita persolvere divinæ justitiæ tenemur; 4. non solum turpiter errasse waldenses, wicleffitas, lutheranos et calvinistas, aliosque qui ab istis orti sunt facultatem Ecclesiæ a Christo datam esse concedendi indulgentias denegantes, sed et eum iisdem hæreticis graviter lapsos esse jansenistas, pistorienses, nonnullosque scriptores neotericos tum circa indulgentiarum notionem, dum eas coarctant ad solam pœni-

(1) Talem esse Ecclesiæ mentem in indulgentiarum largitione constat ex lib. I. epist. XXXIV. s. Gregorii VII. qui Remigio episcopo plenariam indulgentiam exposcenti rescripsit « Absolutionem peccatorum tuorum, sicut rogasti, auctoritate Principis apostolorum tibi mittere, dignum duximus; si tamen, bonis operibus inhaerendo, commissos excessus plangendo, quantum valueris, corporis tui habitaculum Deo mundum templum exhibueris. » Card. Baronius ad an. 1075. n. 71. postquam eam sententiam exposuit; « Ut appareat, inquit, Sedis apostolicæ indulgentias illis communicari, qui quantum suppetunt vires, bene operari non prætermittunt: non autem ignavis, otiosis, ac negligentibus torpescunt. » Nec vacat alias ad id conficiendum congerere auctoritates, cum unanimes theologi in ea sententia sint. Ne tamen præstitutos limites prætergrediamur juverit hic exscribere quæ habet Bened. XIV. *Inst.* LIII. « Card. Cajetanus ad obtinendam indulgentiam censuit non modo præscriptis operibus satisfaciendum, sed etiam necessario deliberandum, salutaris pœnitentiæ criminum labe peculiariter exiari. Card. Cajetanum Navarrus quoque sequitur; licet alii plures eam sententiam nequam probent; et nos ipsi, quibus opinio novitas displicet, illam pariter omittamus. Nullum quippe diplomæ pontificiæ pro concedendis indulgentiis unquam vidimus, in quo ea singularis conditio præferatur. Singulis tamen card. Bellarmini doctrinam proponendam ducimus: *Accipiant prudentes christiani indulgentias, ut simul etiam student dignos pœnitentiæ fructus facere.* Illam card. Pallavicinus cum de usu indulgentiarum sermonem habet his verbis explicat: *Neque sane fideles indulgentiarum causa negligentes sunt, ut pro expurgandis criminibus alia pietatis opera Deo minime persolvant. Cum enim incipites sint utrum reipsa indulgentiam sibi meruerint, stimulo quodam incitantur, ut pro celesti hoc in sauro tutius comparando varias salutares pœnitentiæ rationes aggrediantur; ex diu parte injuncta pietatis opera, si fiant, studium religionis adaugent. »*

entiæ canonicæ relaxationem; tum circa thesaurum Ecclesiæ quem veluti scholasticorum commentam traducunt; tum circa indulgentiarum valcrem quoad animas defunctorum, quem nullum esse autumant; 5. denique ex eadem definitione patebit quo loco haberi debeant tot illæ hæreticorum atque incredulorum calumnie et scommata quibus etiamnum indulgentias, earumque dispensationem insectantur tanquam omnium moralitatis, ut aiunt, eversivas, quæque omnem peccandi licentiam tribuant; quidque sentiendum sit de indulgentiis illis quas passim plene ore protestantes per anticipationem dari in Ecclesia romana adhuc effutiunt (1).

Hæc summa doctrinæ catholice est circa indulgentias, cui vindicandæ operam navare constituimus. Ne tamen in hac satis difficili discussione ea quæ fidei sunt permisceamus aut cum iis, quæ tantum sunt fidei proxima, aut cum iis, quæ libere in scholis catholicis agitantur, juverit alia ab aliis accurate secernere.

Duo itaque in iis quæ ad indulgentias pertinent de fide sunt, ac 1. potestatem esse in Ecclesia concedendi indulgentias divinitus ei traditam; 2. indulgentiarum usum christiano populo maxime salutarem esse.

Fidei vero proximum est 1. fidelibus per indulgentias relaxari pœnas pro peccatis remissis Deo debitas; 2. has item indulgentias applicari posse animabus in purgatorio detentis, seu valere per modum suffragii quoad animas defunctorum; 3. dari præterea in Ecclesia thesaurum, seu collectionem meritorum seu satisfactionum Christi, sanctorum ac electorum omnium, cujus dispensatio ad eandem Ecclesiam et romanum pontificem, necnon ad episcopos singulos pro diversa ratione pertinet (2).

Quod vero spectat ad interiores animi dispositiones suscipientium, ad indulgentias speciales earumque fructum, ad applicationis modum, aliaque non pauca, intra scholarum septa continentur hæc omnia, quæ unusquisque majori minorive probabilitate tuerit.

Nostrum igitur erit primo adversus heterodoxos fidei dogmata propugnare; deinde germanam doctrinam catholicam vindicare adversus jansenistas

(1) Ut specimen aliquod exhibeam de antiquis judiciis quibus plerique protestantes laborant circa doctrinam catholicam de indulgentiis, non equidem alienum aliquem, sed hominem protestantem testem dabo, qui in *Revisione Britannica* tom. II. an. 1820. p. 101 seq. scribit, « Angli etiam doctiores in deploranda versantur ignorantia dogmatum christianæ religionis, ex. gr., nemo fere unius invenitur, incipiendo a poeta laureato (Southey) usque ad infimum parocis clericum, qui fidem non præstet indulgentiis per anticipationem. Attamen non solum non conceduntur ejusmodi indulgentiæ, sed vetitæ præterea sunt et proscrip-tæ veluti contrariæ principis fundamentalibus Ecclesiæ Romanæ. » Qui deinde ibidem subjicit anædoton quoddam suum de colloquio circa confessionem cum matrona romana habito cum Romæ versaretur, ut ostendat nullam a catholicis, imo et sacrilegam eam confessionem censeri, quæ absque sinceræ conversionis proposito peragatur.

(2) Cf. Veroniam *regulæ Fidei* cap. 2. § 4. Bossuet *Exposition de la doctrine de l'Eglise cath.* § 8. Petrum Balerinum *Prælectio III.* in 1. p. *Summæ Theologicæ*. s. Antonii, quæ est de indulgentiis cap. 1. § 2. opp. s. Antonii edit. Veron. 1710. Paræ 1.